



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Pars II. Contactus ab igne defunctorum, ejusdem acrimoniam demonstrat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

totum cum citra mortem, extraque purgatorium peractum sit, scilicet vi imaginatricis facultatis, omnino credibile est priorem narrationem eodem pacto accipiendam esse, maxime cum Carthusianus referat Franciscanum quemdam, virum alioqui inclitæ virtutis, nocte quadam in spiritu, ut aiunt, post matutinas preces sensisse purgantes flammam, cumque antepulsum ad primam, sibi redditum esset, existimasse centum & quinquaginta annis sese in iis versatum fuisse.

307.
Mira historia.

Rem miram narrat Chrysostomus Henriquez, quæ peritorum ingenia exercent. En ipsius verba. *Cum B. Willhelmus Villariensis Abbas in Brabantia ad generale Capitulum iter arripuisset, accidit ut quidam Conversus infirmitate prægravatus Superiorem advocans eidem confiteretur, quoddam inter cetera peccatum, cuius absolutionem Abbas sibi reservaverat. Quo audito Superior existimans mortis non imminere periculum, dixit ei quid peteret ab Abbate suo absolutionem de illo delicto. Quid moror? ingravescente infirmitate ex hac vita discessit in verâ contritione, & afflictione cordis, quod quidem ita inopinatum accidit, ut nec Superiorem vocare, nec confessionem reiterare valeret. Cum autem Abbas de Capitulo redisset, & sequenti die orationibus, & sanctis meditationibus vacasset, spiritus defuncti nuper Conversi apparuit illi. Porro Abbas viso illo, & præmissis Benedicite, inquirere cepit de statu suo. At ille. Cum recessisses, inquit, à nobis, mandatum accepi à Superiore in confessione, quid peterem à vobis benedictionem pro hoc delicto; ecce venio, & vestram benedictionem instanter exoro, & desidero. Qua accepta ab Abbate iterum requirit defunctus, quid debeat facere, ut ab illa culpa mundeatur: cui Abbas præcipio tibi, inquit, quod permanens per annum integrum in purgatorio. At ille exclamare capit, & dicere, heu me! Pater, quare tam duram tulisti contra me sententiam? Ego potius eligerem septem annis in ignita fornace Villariensi cruciari, quam per unum integrum annum esse in purgatorio; & oratio Dominica semel dicta sufficisset. His auditis Abbas vehementer contristatus, absolvere eum voluit à simili penâ. At ille: Non est, ait, in tua potestate liberare me: tu tuam sententiam tulisti; lata permanet: precibus autem, & aliis obsequiis evadere potero penam istam, & his dictis subito non comparuit. Abbas vero intrans capitulum narravit monachis, quæ facta fuerant circa mortuum fratrem, rogans eos per viscera misericordie Dei, qui-*

bus visitavit sedentes in tenebris, & in umbra mortis, quatenus rogarent Dominum pro ipsius liberatione, & ut deinceps cautius se haberent in confessionibus audiendis, & in penitentis iniungendis, admonuit. Hæc Henriquez in floribus SS. Cisterciensium. Quæ, ut dixi, multam admirationem creabunt, sive quod mortuus petat absolutionem à culpâ reservatâ, sive quod penitentiam: sive quod Abbas tam severam imponat: quæ omnia præter ordinem fieri perspectum est.

PARS SECUNDA.

Contractus ab igne Defunctorum, eiusdem acrimoniam demonstrat.

POSTREMO exustio illa ab igne in animas agente, quæ in testimonium ingentis doloris subinde proposita est, in eundem finem à nobis exponenda est. Itaque quemadmodum ab igne lustrali in remotum agente, animæ, quæ hoc in orbe versantur, divinitus exuruntur, ita dicendum est ustiones ejusmodi ab eodem similitudine profectas esse: Quare cum carnem, aut lignum, aut quid ejusmodi solo tactu istius ignis celerrimè pervadi, exurisque audimus, opinandum vim illius acerrimam esse, atque adeo acerrimè animas cruciare. Porro præterea quæ superius attulimus numero 269. Petrus Damianus libello de miraculis ad Desideriû ita narrat. *Coloniensis clericus fluminis vadum traiciens, obvium habuit S. Severinum (Pelegrinum malunt alii) Episcopum iam defunctum. Admirans igitur tam sanctum virum ibi demersum, ab eo petiit, quid ibi ageret. Respondit vero Severinus: da mihi manum, & quæ circa me sunt, non auditu disce, sed tactu. Cumque datam manum fluctibus impressisset, tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes resoluta diffuerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Petiitque Clericus qua ex culpâ tot tormentis affligeretur, responsumque habuit: non aliâ, nisi, quod Canoniarum horarum pensum aula curis distractus indevoitè percurrens, sed si sacrificia pro se obtulerit, inde se evasurum sperare. Simile est quod Vincentius Belvacensis lib. 25. cap. 69. commemorat de duobus Clericis Nametensibus. Convenerat inter eos, ut qui prior diem obiisset, superstitem de Purgatorio igne certiozem faceret. Itaque cum alter decessisset, alteri visendum se per quietem præbuit, guttulamque ignei, quo ardebat, liquoris, illius fronti instillavit: quo excitatus incredibilem persensit dolorem.*

His

308.

Contractus ignis exuritur.

309.
Dominica
vi.

His affine est quoddam prodigium, quod in Poloniâ contigit. Cùm R. P. Stanislao Kolcockæ, Ordinis S. Dominici, viro inter suos sanctimonix laude illustri, anima quædam fratris nuper defuncti videndam se præberet, incessit illum cupido sciendi, quantæ esset acrimonix ignis ille, quo anima aiebat se flagrare. Athæc, Ignis alii, respondit, auræ tenuis locum tenent, si cum ardore meo componantur. Tum Stanislao experiri se velle ait illum in corpore mortali cruciatum; modò vel sic aliquid decedat pœnæ peccatis suis debita. Et anima, Non est, inquit, mortali infirmitas ferendo tantam acerbisatem. Si tamen perstas in sententiâ, volam manus expande, & sudoris mei guttulam excipe, ac me sacrificiis tuis iuva, fratribusque suade fugam noxarum, quibus tanta pœna redditur. Protendit ille manum, & igneam velut lacrymulam excepit, subitoque immensè doloris impatiens vociferari cœpit, ac semianimis in terram corruit. Accurrere fratres clamoribus, & ejulibus exciti, eumque prope jam defectum reperere, crebrisque fomentis animam retinere fugientem. Interea causam tanti doloris percunctantur: aperit Stanislao, admonet officii, ne pari pœnâ plectantur, jubetque casum, ac sensum posteris pervulgari. Annum superstes fuit, & integrum doloris illius reliquias persensit, ac tandem piissimè finiit. Vide Bzovium ad annum Christi 1590. numero 26. Ubi adverte dictum ab animâ, mortale corpus doloris, quem ipsa sentiebat, incapax esse, atque adedò intellige ignis illam guttulam in Stanislai manum vim suam totam non exeruisse, licet tantoperè illum tamque diu cruciârit.

310.
Recens
exemplum.

Sed recentissimum, & testatissimum est quod subjicio. Quippe in oculis Hungariæ, nominatimque urbis Præburgensis, contigit anno 1641. & auctoritate Illustrissimi Archiepiscopi Strigoniensis post accuratum testium juratorum juridicum examen, insigniumque Theologorum consultationem munitum. Igitur Præburgi (Hungariæ civitas est ad Danubium sita: Viennæque Austriæ decem miliaribus dista) Joannes Clemens, vir honoratus inter suos, & Castellum cujusdam extra civitatem positi iudex, postquam Lutheri castra quatuor & quinquaginta annis securus fuisset, Catholicam fidem complexus circiter sexagenarius piè obiit. Vix ab obitu fluxerat mensis, cùm puellæ, quam Regnam Fiskereim nominabant ex oppido Halstadiensi, spectandum sese obtulit, ac deinceps, & ipsi & aliis centies, aut cir-

citer, vel auditus, vel visus est. Porro in tesseram boni spiritus, rogatus ut crucem formaret, crucem igneam cistæ ligneæ, quam mantile tegebat, manu impressit, simulque igneam manus figuram. Tum alterum signum pariter rogatus, mappam alteram, & subjectum ei asserem contactu dexteræ adussit, denique vasi aquæ lustricæ testaceo triplicem crucem circa oram induxit.

311.
Conclusio.

Ex quibus omnibus acrimonia ignis quò flagrabat se prodit. Fac enim ardentissimum ferrum ligno, quod mantili operitur, imponi, non statim ligno figuram suam inuret; sed priùs aliquamdiu cum mantili luctabitur. Verùm eandem ipsam acrimoniam adustio illa, denudatioque manus illius clerici, cui S. Pelegrinus sese videndum objecit, maximè demonstrat. Experimentiâ enim constat carnem cacabo, calidissimâ licet aquâ referto, injectam, non illicò, sed lentè excoqui, neque nisi diurnâ admodum concoctione ab ossibus diffuere. Cæterùm in hisce omnibus actionem ignis Purgatorii, tartareive temperari, satis, ut opinor, patet ex vi illius ignis supremi, qui brevissimo tempore universitatem hanc, atque adedò saxa, metalla, & quidquid igni impervium videtur, ad ima usque, & omninò pervadet ac peruret. Quem ignem in tartara simul cum damnatis devolvendum superius asseruimus.

§. 7.

Acerbitas cruciatus ab igne purgatorio confertur cum Hujus vitæ cruciatibus.

P R Æ F A T I O.

QUÆ hæcenus de gravitate lustralium tormentorum differuimus, non modò illustrari, sed & magis expendi poterunt, si ea cùm gravissimis hujus vitæ cruciantis componantur. Ut enim præsentia mala vehementius, quàm futura mentem feriunt, ita etiam quæ sub sensus cadunt, magis, quàm quæ sub solam intelligentiam. Cùm ergo constet, & rursus, ac evidentius demonstrandum sit purgantes pœnas, ut minimum æquare dolores mortaliū, imò, & admodum eos superare, hi nimirum sub oculos subjecti, purgantium pœnarum vehementiorem sensum, & majorem piorum manium commiserationem ingenerabunt.

N

P A R S